

Decreto sobre el carácter extraordinario de
una curación atribuida a la Venerable
Guadalupe Ortiz de Landázuri, Congregación
de las Causas de los Santos
(8-VI-2018)

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

MATRITENSIS

BEATIFICATIONIS et CANONIZATIONIS

VEN. SERVAE DEI

MARIAE GUADALUPE ORTIZ DE LANDÁZURI
Y FERNÁNDEZ DE HEREDIA

CHRISTIFIDELIS LAICAE

PRAELATURA PERSONALIS SANCTAE CRUCIS ET OPERIS
DEI

(1916-1975)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Guadalupe Ortiz de Landázuri y Fernández de Heredia, postrema ex quattuor filiis, nata est Matriti, a piis parentibus, die 12 mensis Decembris anno 1916, in die festo Beatae Mariae Virginis de Guadalupe. Doctoralem lauream obtinuit in Scientiis Chemicis, qua ipsa de re docendo operam dare coepit. Anno 1944 postulavit ut in Opere Dei admittetur “coelibatum apostolicum” servans. Sanctus Iosephmaria munera eidem commendavit moderandi quaedam incepta evangelizationis Matriti et Bilbai. Anno 1950 Mexicopolim se contulit ut ea in natione labori apostolico Operis Dei inter mulieres initium daret. Ibidem igitur humanae et christianaे multarum puellarum institutioni variis in civitatibus impense incubuit. Anno vero 1956, Dei Serva Romam se transtulit, ut Sancto Iosephmariae adiutricem operam praestaret in moderamine apostolatus mulierum Operis Dei. Propter gravem autem cordis infirmitatem sectionem chirurgicam subiit et anno 1958 Matriitum rediit, ubi docendo operam dare perrexit et anno 1965 Lauream Pervestigationis in Chimia obtinuit, plenis quidem votis et addito insuper praemio extraordinario. Aegra valetudine non obstante, et docendi officio et apostolatui exercendo inter collegas, alumnas et amicas alacriter incubuit. Inter alia incepta, centrum studiorum de re domestica moderata est. Die 1 mensis Iulii anni 1975 subiit gravem chirurgicam sectionem, quia eius cardiopatia in peius versa erat. Perdurante periodo convalescentiae subitaneam crism suffocationis passa est. Die vero 16 mensis Iulii, in festo Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, animam Deo piissime reddidit. Anno 2017 Summus Pontifex Franciscus heroicitatem virtutum eius agnovit.

Sanctitatis fama qua in vita gaudebat magis magisque diffusa est et haud pauci sunt qui testificantur se a Domino gratias accepisse, quas intercessioni Servae Dei tribuunt. Inter notitias harum gratiarum spiritualium et materialium peculiariter eminuit sanatio, anno 2002, viri 76 annos nati a tumore maligno in pelle prope oculum dexterum. Aegrotus intercessionem postulaverat Mariae Guadalupe Ortiz de Landázuri ad sanationem obtinendam et alias quoque personas rogaverat ut hac ipsa petitione Mariam Guadalupe adirent.

Nocte quadam, cum sollicitus esset propter imminentem chirurgicam sectionem ad cancrum extirpandum, aegrotus fidenter postulavit a Serva Dei ut illam sectionem vitaret. Mane vero diei subsequentis ipse comperuit laesionem tumoralem omnino absumptam esse. De medicorum sententia, scientifice explanari nequit extinctio tumoris cancerosi huius generis sine medica cura. Notandus est insuper modus instantaneus sanationis.

Inquisitio dioecesana super hac sanatione instructa est in archidioecesi barcinonensi, a die 25 mensis Maii anno 2007 ad diem 16 mensis Ianuarii anno 2008; die 24 mensis Octobris anno 2008 haec Congregatio iuridicam validitatem praedicti Processus decrevit. In adunatione habita die 5 mensis Octobris anno 2017, Medicorum Dicasterii Consilium censuit huiusmodi sanationem fuisse instantaneam, completam ac definitivam et declaravit ipsam

secundum scientiam medicam explanari non posse. Die 1 mensis Martii anno 2018 Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum locum habuit; Patres autem Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione die 5 mensis Iunii anno 2018 congregati sunt, Card. Angelo Amato moderante. In utroque autem Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierna die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Mariae Guadalupe Ortiz de Landázuri y Fernández de Heredia, Christifidelis Laicae Praelatura personalis Sanctae Crucis et Operis Dei, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam viri a «cancro cutaneo ulcerato».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in Acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Iunii a. D. 2018.

ANGELUS Card. AMATO
Praefectus

* MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiepiscopus tit. Mevaniensis
a Secretis

